quod vult Auerroes, quando quantitatem vult mensurandam esse virtute, non pondere.

CAP. VII.

Quomodo virtus debilis compositione roboretur?

SI virtus simplicis medicamenti debilior sit, quam postulet curandi affectus magnitudo, potest quidem sine compositione roborari, tot partibus adacuto ipsius pondere, quot numeris superando affectu imbecillior est, cum certum sit mitiora remedia multa quantitate, diúq; exhibita, affectus sæpe fortiores tandem euincere, sed tamen nec quilibet eam medicamenti molem perferre potest

ſine tædio, nec ſemper tutum eſt in morbis procraſtinare, cum augeri poſſint, ac vires prius opprimere, quam debili remedio, temporis diuturnitate pellantur.

Accedit, aliquos eſſe morbos, quibus debiliora remedia nullo temporis decurſu opitulari queunt. Nam *a* in quibus vitæ periculum impendet, ſtultiſſimum fuerit in minoribus ſalutis ſpem collocaſſe, quemadmodum, & in illis, quorum cauſa fouens continuè generatur: in his enim, niſi remedium tollendæ cauſæ par fuerit, inſuperabilis ægritudo relinquetur.

Exemplo ſit vlcus, quod fouetur à duplici excremento cõtinuè generari ſolito, tenui ſilicet,

a Gal. 5. Meth. vlt.

cet, & crasso, quo naturæ opus in regeneratione carnis prohibetur. Etenim, [b] nisi Sarcoticum tenue excrementum siccet, crassum detergat ea quantitate, quæ generatur, nunquam vlcus carne replebitur, sed sordidum in dies fiet, magisquè humidum, veluti si potentius siccet, non modo tenue excrementum absumet, sed & sanguinem regenerandæ carnis materiam. Quare oportet Sarcoticum exactè esse contrarium affectui, & quemadmodum ostensum est, quomodo virtus ipsius, & cuiuscumq; alterius, fortior per compositionem remittatur, ità monstrandum, qua ratione virtus debilior intendatur, vt affectui æqualiter contraria proueniat. Ac

b 3. Meth. 3.

virtus quidem dupliciter dici potest debilior; vel simpliciter, quia affectus expellendus facultatem habeat intensiorem, pluriumq; graduum, vt si morbus sit calidus in 2,& remedium frigidum in 1; Vel secundum quid, quia integris viribus peruenire non possit ad affectum membrum, propter eius distantiam, licet *vires æqualiter contrarias* praua dispositioni obtineat. De virtute debili secundum quid, dictum est superius,& denuo dicetur, cum de vehiculo sermo erit. Hic ergo virtutem simpliciter debiliorem intelligo, quæ vno tantum modo redditur [a] intensior, miscendo silicet pari quantitate medicamentum simplex eiusdem speciei, tot partibus

[a] *Auerr. 5. Coll. 57.*

bus affectu intensius, quot numeris alterum est remissius, vt si morbus sit calidus in 2. sitq; remedium debilius frigidum in 1, miscendum est cum pari quantitate frigidi in 3, vt fiat compositum frigidum in 2. Hoc autem ex iam enarratis conspicuum est, ac de secundis facultatibus eodem modo intelligendum. Et quia euenire potest, vt ob simplicium carentiam, virtus debilioris, vel nimis parum, vel nimium intẽdatur alterius commixtione, sucurrendum est defectui variata fortioris quantitate, quæ, si virtus debilis nimis parum intendatur, augenda est tot partibus, quot numeris completũ adhuc est remissius, quam oportet, si nimirum intendatur, tot partibus est minuenda, quot

numeris compoſitum eſt iuſto intenſius, adhibita nimirum Regula Aurea, ſicut in modo remittendi virtutem fortiorem declaraui. Quanquam verò extra controuerſiam eſt, prima quantitate (idem minima doſi, ac menſura, qua medicamentum ſuas vires edere poteſt) aucta, vel imminuta, agendi quoquè facultatem proportione quadam roborari, labefactariuè, non eſt tamen exiſtimandum, quemadmodum quantitatem licet in infinitum multiplicare, ità, & agendi vires in infinitum excreſcere: ſed eò vſquè tantum, quo cuiuſlibet finitæ virtutis actiuæ termini pertingunt, ita vt, magnitudo quantumuis multiplicata, naturales cuiuſuis agẽdi limites excedere nequeat.

Ex.

Ex. Gr. Suppoſito, quod ſucci Cicorei vnc. j. refrigeret in 1. gradu, ſi detur in ſubdupla quãtitate, nimirum drac. iiij, temperatum frigus producet, ſi in Subtripla, ſilicet drac. ij. ⅔ nihil refrigerabit; at ſi vnc. j. duplicetur, refrigerabit duplo plus, atq; in 2, ſi triplicetur vnc. iij, refrigerabunt in 3, vnc. iiij. in 4, vltra quem terminum ſi augeatur, non amplius refrigerabit, quam vnc. iiij. faceret, cum frigus vltra 8. gradus *intendi non poſſit*. Quod autem ait Auerroes, quãtitatem agentis in 3, duplicatam, veneni inſtar interficere, non eſt ſic audiendum, quod agens in 3. reuera veneni conditionem induat, ſed, quia vitalis caloris proportionem diſſoluit, quamuis modo nõ nihil diſ-

ſimi-

simili, ac venenum, venenum tamen dici potest. Nam aliter interficit debita quantitas Opij, aut Mandragoræ, aliter duplicata quantitas Lactucæ, quæ alias conuenienti pondere exhibita refrigerat in 3. Mandragora enim summum frigus producit, caloremquè disoluit, qualitatis intensione, at Lactucæ quantitas duplicata, actionis robore, & diuturnitate, quam cum natura longius perferat, quam Mandragoram, sibi quippe inimiciorem, non nisi impropriè admodum dici potest venenum, quod propter immodicam quantitatem interficit.

Sed dicet aliquis, si ad quantitatis multiplicationem virtus non intenditur, sed roboratur solum actio, ergò non erit pro-

pius

prius terminus, vltrà quem roborari virtus nõ possit, sed aucta quauis quantitate, verum erit de maiori, quæ diutius, celeriusquè operabitur, quam alia minor, sicq; magis operabuntur vnc. viij. Cicorei, quam quatuor, & magis 16, quam 8, sicq; deinceps.

Respondeo 1. Actionem medicamẽti in corpus diutius protendi non posse, quam ad caloris vitalis dissolutionem, sine quo nullum medicamentum actuari potest, corpusq; afficere, ac propterea dato, quod vnc. iiij succi Cicorei calorem extinguant, vnc. viij. non plus efficient. Cùm igitur non loquar hic de virtute actiua simpliciter, sed in comparatione ad corpus humanum, verum est dari pro-

prium

prium terminum mensuræ medicamentorum, qua aucta, nihilo magis ipsorum actio roboretur.

Respondeo 2. Celeritatem agendi, vniuersaliter etiam loquendo, non posse excrescere in infinitum, sed determinatam magnitudinem obtinere, seù ex imbecillitate virtutis agentis, quæ celerius agere non potest, quam tanto, aut tanto tempore, seù ob naturalem repugnãtiam effectus, qui minimo tempore produci non potest. Gratia exempli; non valet dicere, Ignis palmaris conuertit in se libram aquæ vna hora, ergo bipalmaris media, tripalmaris $\frac{1}{4}$, 60. autem palmorum vno minuto aquam conuertet; Nam aqua ob intrinsecas dispositiones igni repugnan-

gnantes vno minuto conuerti in ignem nequit, Nec potest dici, duo equi trahunt nauem Venetijs Patauium spatio 6. horarum, ergò duodecim trahent eandem nauem per idem spatium, interuallo vnius horæ. Nam equi ob finitæ virtutis sese mouendi impotentiam, tam celeriter moueri nequeunt. Quamobrem claudicat aliqua ex parte ratio Aristotelis, a qua probare nititur, virtutes motrices cœlorum non esse in magnitudine, quia mouerent in non tempore, vniusq; instantis momento, dato enim, quod pro corporis magnitudine virtus mouens excresceret, motus tamen celeritas ea proportione non excresceret in infinitum, sed deueniretur ad motum

a 8. Physic.

tum ità celerem, vt à nulla virtute celerior fieri poſſet, quia motui repugnat fieri in inſtanti.

Cæterum quemadmodum nulla facta virtutis intenſione, fortiorem reddi ipſius actionem dixi aucta agentis magnitudine: ità dubium eſt, an vnius ſimplicis virtus, additione pluriuum, facultate, & gradu ſimilium roborari poſſit, & adeo rectenè rideat a Galenus Empiricos, quibus ea compoſitio familiaris erat, vt vnius virtus alterius ſimilis coniunctione redderetur efficacior.

Profecto, ſi Empirici varia eiuſdem facultatis commiſcuiſſent, vt ſi vnum non prodeſſet, aliquod ſaltem in tota magnitudine reperiretur, quod iuuaret

(quo

a 1. Comp. pergen. 10.

(quo nomine Gal. in eos animaduertit,) irrationalis penitus esset, ac fortuita commixtio, fieretq; entium multiplicatio sine necessitate, quia, quæ sunt omnino similia, diuersas agendi vires præstare nequeunt, quodq; in vno desideratur, frustra quæritur in alio. Sed quia eadem virtus in diuersa materia existens celerius, aut tardius, longiori, aut breuiori tempore operatur, si facultate, & gradu similia, vt puta Sonchus, Cicoreum, Acetosa; substantiæ modo differant, non est præter rationem, simplex, tenuis, ac raræ substantiæ, permisceri alteri, quamuis facultate simili, substantiæ autem crassioris, ac densioris; vel è contrario crassum componi cum tenui, vt alterius actio robo-

boretur. Nam, vt inquit Auerroes, [b] medicamentum craſſum coniunctum tenui (V. G. *tenuis*, *craſſius*, *craſſiores* Acetoſa, Cicoreum, Santali) permutat corpus inęqualiter, tenue quidem celerius, craſſius autem tardius, vndè corpus diuturniori tẽpore alteratur, ideoq; eorum operatio eſt fortior, ac ſi ſingula ſeorſim exhiberentur. Atquè hęc ſubſtantiæ diuerſitas tanti eſt momenti in corporis permutatione, vt verè dicat Auerr. Medicum, qui hoc ſubtiliter conſiderauerit, nunquam vſurum ſimplici medicamento, ideoquè ſi pro iecore perfrigerando in 2. gradu exhibendæ ſint vnc. ij. ſucci Cicorei, fortius fiet perfrigeratio, ſi vnc. j. ſuc-

[b] 5. *Collig.* 57.

succi Cicorei, & tantundem succi Acetosæ miscueris, quia Acetosa tenuioris substantiæ prius refrigerabit, Cicoreum autem tardius, ac ferè, cessante iam priori operatione.

Errant igitur, qui semper Empiricum esse dicunt, varia medicamenta eiusdem facultatis, & gradus permiscere, grauiusquè errant, qui in veterum compositionibus experientia comprobatis, cum duo simplicia eiusdem facultatis idem cõpositum ingrediẽtia aduertunt, alterum, vt superfluum, friuola ratione ducti expungunt. Cum enim medicamentum geminam habeat actionẽ in corpus, aliam, quæ cõsequitur 1^as, & 2^as qualitates, quæ in mixto prædominantur, aliam consequentem

totum temperamentum, licet duo medicamenta ſint ſimilia gradu qualitatis prędominantis in temperamento, differunt tamen toto temperamento, ac ſpecie, propterea q; qualitas prædominans, diuerſis quippe formis inſeruiens, prȩter actionem, quam edit, vt talis eſt, alium habet operandi modum, vt eſt *inſtrumentum formæ determinatæ*, vt mirum non ſit, ſi ex duobus ſimplicibus, qualitatis exceſſu ſimilibus, inuicemquè compoſitis, aliqua nobis ignota virtus reſultare poſſit. Quam ob cauſam in extemporaneis compoſitionibus multitudo medicamẽtorum omni cura vitanda eſt, illud q; optimum medicamentum cõpoſitum eſt [a] cen-

ſen-

[a] 1. *compoſ. per gen.* 2.

fendum, quod ex paucioribus, vsu magis expertis, paratuquè facillimis simplicibus componitur. Hactenus de simplici, cuius facultas fortior est, debilioruè, quam postulet necessitas.

CAP. VIII.

Quomodo redundans Virtus aufferatur.

SI plures habeat, quam opus sit, oportet virtutem redundantem corrigere, salua interim illa, qua indigemus. Tollitur autem redundans qualitas admixtione contrarij eiusdem gradus, ac in pari quantitate. Dictum est siquidem ex duobus contrarijs eiusdem gradus pari mensura iunctis resultare tempera-